DE

HEMICRANIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. JUNII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS STRAETER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

B. BRUENING, med. et chir. Dr.

G. MUELLER, med. et chir. Dr.

R. HAUPTMANN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

FRATRI

DILECTISSIMO

AUGUSTO STRAETER,

MED. ET CHIRURG. DR., MEDICO PRACTICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

NOTIO MORBI.

Hemicraniae nomen cephalalgiae genus quoddam, dolore gravi, alterum capitis latus, praecipue regionem supraorbitalem ac temporalem, occupante atque intervallo revertente conjunctum significat.

DESCRIPTIO MORBI.

Hemicrania cum impetibus per circuitus revertentibus insignem se praebeat, primum quo morbi imago cognoscatur, impetuum ipsorum indoles atque ratio peculiaris exponatur necesse est. Quo facto, morbi universi decursus accuratius explicabitur.

Impetus hemicraniae in singulis aegrotantibus non semper eodem modo patefiunt. Modo enim eorum exordium prodromis quibusdam indicatum est, modo dolor signis suspiciosis non praegressis aegrotantes invadit.

Prodromi, ubi apparent, praecipue systematis nervorum atque digestionis laesi symptomata edunt. Aegri vel moerore ac tristitia corripiuntur, vel terroribus percutiuntur, vel horripilationibus atque oscitationibus tenentur. Sensuum quoque functiones videntur alienatae. Visus interdum turbatur, ita ut excaecatio quaedam usque ad

ingruentem quemque impetum perduret. Tissot (1) aegrum refert hominem viginti quatuor horis ante invadens malum surditate quadam infestatum esse. Observantur quoque quorum olfactus alienatus, modo adauctus, modo suppressus. Aegrotus quidam pulveris Nicotianae usum, cujus alias studiosissimus erat, septem vel octo horas, antequam ab hemicrania prehensus sit, abhorruisse dicitur. Digestio quoque laesa haud raro occurrit. Ciborum appetentia saepius diminuta, ructus acidi gravesque, vomitus rerum acidarum (2), interdum fames vehemens, ne dicam, canina. Aegri tum queruntur de pedum frigore, tum de summis caloribus, etiam siccitate quadam peculiari narium. Quae symptomata cum aliquamdiu, plerumque per aliquot horas perduraverunt, ipse ingruit morbus.

Initium morbi dolore signatur, saepius levissimum tantummodo sensum producente. Qui dolor regionem supraorbitalem occupans, manu premente sedari videtur posse (3); nihilosecius tamen pedetentim ingravescit, ita quidem, ut iterum iterumque paullulum remittat, antequam summam acerbitatem adeptus sit. Quae remissiones interdum etiam in fastigio doloris locum inveniunt, ita ut miseri homines, dolore percussi, spe quadam exituri morbi teneantur. Quae vero spes mox fallax evadit, cum dolor brevi post denuo in aegrotantem ingruat.

---

(1) Traité des nerfs et de leurs maladies. Tom. III. Part. II. chap. XXII. Paris 1783.

(2) Willis, cephalalgiae curatio. p. 160.

(3) Prosper Martin, Abhandlung über die Migraine und andere Arten von Kopfschmerz, nebst deren Heilmitteln. Nach dem Französischen frei bearbeitet und vermehrt von Dr. J. C. Fleck. Ilmenau 1830.

Tempus diei, quo dolor ipse oritur, in variis hominibus varium; quid, quod in eodem aegrotante non semper idem observatur? Plerosque aegros mane, vix e somno expergefactos, alios interdiu, multos etiam vespertino tempore aut noctu aggreditur malum. Tissot aegrotum refert hominem noctu semper a dolore correptum esse. Cum ex ventriculo laborasset, cujus molestiis hora circiter tertia vel quarta matutina e somno esset excitatus, non ita multo post capitis dolorem vim suam exercere coepisse. Mox ad dolorem tensionis cujusdam in radice nasi sensus accedit, qui sensim sensimque supra marginem superiorem oculi affecti lateris propagatur. Quo facto, dolor ipse summum adipiscitur impetus gradum, atque interdum ita cruciat aegrum, ut nihil fere intolerabilius excogitari possit. Aegrotantes jam maximam et animi et corporis quietem concupiscunt, solitudinem quaerunt, et procumbere coacti sunt, quippe qui erecti persistere non valeant. Praeterea tam debiles videntur, ut saepius neque loquendi neque videndi neque audiendi facultas suppetat. In partibus affectis ne levissimus quidem tactus perfertur; quid, quod Tissot chirurgum quendam commemorat, qui ab hemicrania correptus, ne sonitus quidem horologii tolerare potuerit?

Ratio dolorum non semper eadem existit. Interdum illi facilius feruntur, dummodo aegrotantes prostrati maximam obtineant quietem. Plerumque autem dolores modo prementes, modo trahentes, modo conterentes, modo urentes, modo pungentes, interdum etiam pulsantes homines miseros summa cum ferocitate percutiunt.

Quod sedem attinet doloris, praecipue uti in notione morbi exhibita jam memoravimus, regio supraorbitalis

ac temporalis alterius lateris afficitur. Inde vero in vicinas quoque partes propagatur dolor, ita tamen, ut nunquam fere mediam capitis lineam superet, cujus rei rarissimi tantummodo casus ab auctoribus referuntur (1). Tissot vero contendit, eos, quorum utrumque latus afficiatur, ex altero majorem capere dolorem quam altero. Etiam observati sunt hemicraniae casus, in quibus modo alterum, modo alterum latus dolor occupavit. Quae quidem vicissitudo in aliis nullam regulam sequitur, in aliis contra regulatim procedit. Sic Tissot de femina quadam narrat, in qua malum, ordine strenue observato, vicissim modo dextrum, modo sinistrum latus invaserit. Idem auctor Wepferum laudat, eadem de moniali quadam referentem. —

In universum autem secundum medicorum observationes sinistrum latus dextro saepius morbi sedes invenitur.

Jam supra commemoratum, dolorem ab affecto latere saepe in alias partes extendi. Plerumque oculus simul morbi accessu tenetur. Praecipue in orbitae fundo dolor percipitur, qui summas aegrotanti molestias affert, saepius autem premendo mitigatur. Lacrymae funduntur oculo, perinde ac si extraneum corpus intrasset. Haud raro aegrotantes scintillationes percipiunt, vel visus illusionibus et hallucinationibus agitantur. Sic interdum res visui objectae opacae, nigrae, fuscae, interdum pellucidae apparent. Sed et alio modo videndi facultas turbari pot-

---

(1) Andral, die specielle Pathologie. Herausgegeben v. Dr. A. Latour. Aus dem Französischen übersetzt von Dr. T. Unger. Th. III. Berlin 1837.

est, v. c. observantur, qui singularum rerum dimidiam tantummodo partem percipiant. Saepe etiam auditus turbatus susurro quodam molestissimo cognoscitur. Neque minus cranii cutis ita afficitur, ut capilli quoque haud impune tangi possint; quid, quod Wepferus (obs. leg.) capillos sese erigentes in acerbissimo hemicraniae casu observavit? Pluribus casibus vehementioribus ad dentes quoque sese extendit dolor, atque ita aegrotantes perstringit, ut neque os aperire neque voces distinctas edere valeant. Eodem modo dolorem usque ad occipitium et nucham, quin immo ad extremitates propagatum observarunt medici. Ejusmodi exempla vehementiora, a Tissotio relata, paulo infra exhibebimus.

Praeter dolorem nervorum systema alia quoque morbi symptomata praebet. Interdum, rarissime quidem, mentis actiones ex aliqua parte turbatae apparent (Andral). Saepe affectiones spasticae superveniunt dolori. In nonnullis ex hemicrania laborantibus convulsiones vagae videntur, loci affecti fines non superantes; in aliis spasmi clonici vehementiores existunt; quid, quod spasmi interdum tonicum induunt characterem? Haud raro motus convulsivi vicinas partes simul afficiunt, interdum totum corpus occupant; saepius autem tremorem potius gignunt quam convulsionem. Aegrotis quibusdam occurrimus, qui in abdominis musculis contractiones dolore conjunctas persentiant. Alii de molesto formicationis cujusdam sensu variis in corporis partibus conqueruntur, qui quidem sensus illi interdum haud dissimilis est, qui galvanismi actione in musculis provocatur. — Aliud symptoma in hemicrania somnus, qui criticam quoque vim exercere potest. Ubi vero medio impetu producitur, gravitatem indi-

cat morbi; nam tanto magis morbo aegrotantes cruciantur, quo magis somno capiuntur. In his aegrotis somnus nunquam fere finit morbum; e contrario dolor remittere solet, aegris plane e somno experrectis. De functionibus sensuum alienatis jam supra sermo fuit.

Pulsus arteriarum plerumque frequentiores, interdum pleniores, duriusculi observantur; sub finem vero impetuum remittunt. Tissot subitam fere pulsuum remissionem post vomitum commemorat. In hominibus plethoricis saepius aperta sanguinis ad caput congestionis signa in lucem procedunt. Interdum fieri potest, ut in loco affecto sanguis congeratur. Haud raro tunica conjunctiva bulbi, aliis in casibus tela cellulosa subcutanea faciei et frontis vasis minoribus ruptis sanguine impleta: quae quidem repletio interdum eum gradum adipiscitur, ut frontis, palpebrarum, quin etiam genarum cutis caerulea, livida et nigricans, uti in iis, qui e cholera morbo laborant, appareat. Eodem modo arteriae temporales interdum admodum extensae, facies ardens, et nonnunquam sub finem impetus intumefacta.

Inter symptomata, quae maxime solent in hemicranicis occurrere, praecipue vomitum, modo initio morbi, modo medio impetu, modo sub finem ejus locum tenentem nomino. Nihilominus tamen vomitus non constans morbi signum habendus. In universum hujus est momenti: nempe aut salutaris, ita ut dolor post vomitum statim finem assequatur, sin minus, tamen aliquantum cedat; aut signum tantummodo morbi, gravitate ejus procreatum.

Quod singulas attinet secretiones, quatenus a norma recedant, jam supra de lacrymarum fluxu, qui interdum

continuus obveniat, relatum est. Sed et aliae saepius actionem anomalam praebent. Sic interdum salivae secretio largior, et sudores modo locales, modo universales occurrunt. Sudorum in hemicrania eadem exstat ratio, quam vomitus; etenim aut critici sunt, aut symptomatici, mali acerbitate expressi. Symptomaticos autem dolores remissionem non sequi, re ipsa jam patet.

Temporis spatium, quo impetus hemicraniae finem assequitur, in variis aegrotantibus maxime varium reperitur. Plurimis quidem in casibus aliquot horarum, interdum vero dierum spatium explet. Tissot hemicraniae impetus inde a duarum usque ad triginta vel triginta sex, imo septuaginta horarum spatium decurrentes dicit; spatium autem maxime solitum octo vel duodecim horarum ab eodem auctore refertur. Alium idem medicum, Fordice, citat, qui hemicraniae casus, plures dies continua serie perdurantes, sese observasse contendat. Sed jam dubium redditur, num ejusmodi casus revera ad nostrum morbum referendi sint, an potius cephalaeae, quae morbum continuum praebeat, adscribendi.

Exitus impetus varia ratione procedit, neque in iisdem aegrotantibus semper idem apparet. Saepissime crisibus tum dynamicis, tum materialibus designatur; haud raro autem, criticis signis non praegressis consequitur. Complures ab hemicrania correpti homines, cum doloris summa vi per aliquot horas oppressi sint, somno profundo capiuntur, ex quo paulo post experrecti, valetudine fruuntur optima. Vomitus superveniens aut finem imponit morbo, aut remissionem tantummodo efficit, quam somnus placidus sequitur, quo, cum plures perduraverit horas, morbus solvitur. Tissot aegrotae cujusdam fe-

minae mentionem facit, in qua hemicrania nonnisi vomitu deleri potuit, quam ob rem aegrota hunc medicaminibus et provocandum et adaugendum curavit. Reperiuntur quoque, in quibus finis impetus sudoribus modo localibus, modo universalibus exoriatur. Wepfer (observ. de apoplex obs. 76. p. 608) aegrotam mulierem commemorat, in qua morbi impetus largiore lacrymarum fluxu ex affecti lateris oculo sublati sint; interdum quoque copiosior fluidi cujusdam serosi excretio ex naribus finem imposuit malo: quo facto aegrota, alias quavis hebdomade hemicrania correpta, per longius temporis spatium morbo libera exstitit. Andral haemoptysin quoque laudat, qua impetuum exitus significetur.

Dolor quamvis in universum ita percutiat aegrotos, ut perfectae quieti dediti, tam quemque corporis motum quam omnem tactum evitare studeant, tamen memorantur, quos quiete fruentes summopere cruciet dolor. Sic a Wepfero (de morb. cap. obs. 47) juvenis cujusdam mentio facta, in quo majore cum acerbitate prodierint hemicraniae impetus, simulatque aegrotus procubuisset. Memoratu adhuc dignum est, in aliis aegrotis dolorem finiri, cum vehantur. Cujus rei exempla a Tissotio duo homines perhibentur, qui quidem multo diutius laborabant ex hemicrania, vehendi occasione non data; curru autem vehentes statim a molestiis, alter vomitu superveniente, alter nullo alio symptomate intercedente, liberati sunt.

Impetu finito aegrotus plerumque optima gaudet valetudine. Nihilominus tamen casus obveniunt, qui a norma modo laudata recedant, cum interdum aegrotantes sequelis quibusdam petantur. Sic in nonnullis partium affecta-

rum sensibilitas adaucta per aliquod tempus remanet, quae eum gradum assequi potest, ut tactum vix perferant. Eodem modo dolores in humero et brachio lateris affecti, nec minus anaphia quaedam in eodem latere; symptomata residua ab auctoribus relata sunt. Lassitudinem quandam virium die, qui morbi invasionem sequitur, haud raro in lucem prodire, vix memoratu dignum, quippe quod ex rei natura satis luculenter pateat.

Hemicraniae impetus non semper eodem modo, ut a nobis descripti sunt, proveniunt. Interdum fit, ut fines solitos excedant, trahantque secum alia graviora symptomata. Tissot, qui überrime de hemicrania disseruit, hujusmodi casus complures, tum ex suis, tum ex aliorum medicorum observationibus haustos profert, quorum cum notatu dignissimi videantur, nonnullos, uti supra polliciti sumus, breviter recensebimus.

Piso, qui ipse hemicrania laboravit, tanto vexatus est dolore, ut sutura coronalis ei fissa videretur, quam Van Derviel (Lib. I. Obs. I.) revera in morbo fissam observavit. Idem phaenomenon etiam a Fabricio Hildano (cent. I. obs. 1. cent. II. obs. 2), cum ipsum in tribus vel quatuor aegrotantibus animadverterit, confirmatur. In libro quodam (Histor. morb. Vratislav. p. 50), cujus fides secundum Tissotii sententiam admodum est comprobata, observationes proferuntur, omnem dubitationem tollentes. Saepius in vehementioribus hemicraniis, auctor inquit, aegros animadvertimus, qui de capite fisso querelas edunt. Non semper res ita se habet, nihilosecius tamen interdum revera fissura observatur. Inter alia exempla Dr. Grass de aegrota quadam trigiuta fere annorum re-

fert, in cujus capite, dolores cum acmen attigissent, latior suturae lambdoideae fissura aperte perspici potuit.

Tissot de puella quoque agit duodecim annorum, quae, subito hemicrania occupata, oculo, tempore et aure lateris sinistri praecipue affecta fuit. Simul sensum quendam formicationis percepit, qui inde a digito minimo manus ejusdem lateris exorsus, sensim sensimque in reliquos digitos, antibrachium, brachium, collum transiit, postremo vero vehementem retractionem spasmodicum capitis, opisthotono haud dissimilem, neque minus trismum quendam sibi adnexuit. Ejusmodi impetus summo virium collapsu conjuncti erant; nunquam vero conscientia erat sublata. Exitum mali vomitus biliosus significavit. Eae, quae his vehementioribus successerunt invasiones, levioris momenti semper exstiterunt. Dolor praecipue in regione temporali vim suam exercuit, atque sensum quendam obtusum in extremitatibus et superioribus et inferioribus lateris affecti per duos fere dies reliquit.

In milite quodam Austriaco triginta fere annorum, de quo etiam in Tissotii libro sermo est, hemicrania primo oculos obsedit, ita ut omnia visus objecta ei turbata viderentur, sicuti in iis, qui solem intuiti sunt. Quod cum per decem circiter horae scrupula perdurasset, extremitates superiores et inferiores lateris affecti instupuerunt. Aeger in ipsis horripilationes et formicationes persensit, easdemque affectiones in ore et lingua percepit, ita ut summa tantummodo virium intentione adhibita voces edere posset. Quae symptomata cum per septem vel octo horae scrupula aegrotum obtinuissent, dolores in lucem prodierunt, qui temporalem tantummodo occupaverunt regionem, aegrotumque per septem vel octo horas vehemen-

tissime cruciarunt. Vomitus levamen attulit. Idem quoque anni tempore et quaque diei hora morbo fuit expositus. —

Wepfer in observationibus suis hemicraniae cujusdam mentionem facit, quam crudelem appellat; haec nullis prodromis praegressis, subito palpebram inferiorem dextri lateris invasit, unde latius diffusa et frontem regionemque temporalem obtinuit, et nasum labiumque superius occupavit, quod labium tam sensibile redditum est, ut tactum vix ferret. Vehementissimo impetu autem dolor gingivam perculit et oculum, qui simul lacrymas uberrime fudit. Dolor interdum propagatus ad occipitium et nucham, idemque fere semper intolerabilis. Saepe etiam accesserunt motus convulsivi labiorum atque vasa eorum intumefacta.

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Hemicrania in universum decursum maxime chronicum exhibet. Haud raro jam infantili aetate exorditur, septimo scilicet vel octavo aetatis anno infantes saepius illa opprimuntur. Plerumque autem morbus noster inde a decimo tertio vel quarto aetatis anno usque ad decimum octavum vel vigesimum initium capit. Plerumque summo vigore usque ad quinquagesimum vel sexagesimum annum perdurat, quibus peractis annis plurimum impetus morbi mitigantur, atque rarius occurrunt, ita ut sub septuagesimum aetatis annum morbus saepe plane evanescat. Sed sunt quoque in quibus morbus jam media eorum aetate finem assequatur. In universum hemicrania provectiore aetate originem non capit. Qui ante vigesimum quintum aetatis annum morbo nondum correptus est, secundum

Tissotii sententiam seriore tempore huic morbo plerumque non obnoxius existit.

Morbus noster simili ratione in quovis aegrotante decursum exhibere solet; plurimum enim ab initio levioribus impetibus signatur, compluribus annis peractis paulatim ingravescit ad acumen quoddam, tum vero sensim sensimque decrescit. Praeter hanc vero vulgarem rationem decursus in singulis aegrotantibus varios modos praebet, tum quod attinet impetuum abundantiam, tum eorum vim, tum tempus, quod singuli explent, tum typum, quo revertuntur.

In feminis saepius morbus sub decrepiditatis stadium ingravescit, maxima ex parte autem invasiones leviores redduntur, cum menstruorum fluxus prorsus cesserit. In universum feminae, quae in menstruis sunt, saepissime afficiuntur, ita ut paulo ante menstruorum tempus, aut dum menstrua fluant, impetus enascantur, interdum quoque, id quod rarissime tamen accidit, post catameniorum tempus proveniant. In feminis menstruis, quae hemicrania laborant, quodque catameniorum tempus impetum secum trahere solet.

In compluribus aegrotantibus impetus morbi rarius tantummodo revertuntur, ita ut non plures quam octo vel decem per anni circuitum observentur. Tissot contendit, a veris hemicraniae impetibus rarissime plus quam ternis per mensem, atque minus quam quaternis per annum vicibus aegrotantes invadi. Andral aegroti cujusdam mentionem facit, qui intra spatium novem annorum bis tantummodo ab hemicrania obsessus sit.

Ratio vero decursus peculiaris ut accuratius perspiciatur, singula morbi exempla ex auctoribus, qui de morbo

nostro egere, praecipue ex Tissotio, cujus auctoritas in hemicraniae indole ac ratione indaganda maximi momenti esse videtur, petita laudentur.

Tissot aegrotantem quendam curavit quadraginta circiter annorum, in quo hemicraniae impetus septuaginta quatuor horas perduraverunt. Per decem vel duodecim annos septies vel octies quotannis ab hemicrania correptus est, quibus annis praeterlapsis impetus sine ulla causa aperta crebrius apparuerunt, ita ut non diutius quam per hebdomadis spatium aeger ab ipsis liber existeret.

In alio aegroto homine literarum studiis dedito, cui idem Tissot operam suam navavit, hemicrania, quae illum jam inde a tenera aetate obsederat, primis temporibus impetus rariores produxit, quorum singuli duodecim saltem horarum spatium expleverunt, magnamque virium consumtionem in aegroto semper reliquerunt. Seriore tempore impetuum numerus ita adauctus est, ut per aliquot annos quovis mense redirent; postea vero binis hebdomadibus interjectis, deinde quaque hebdomade, quin etiam crebrius apparuerunt. Circa sexagesimum aetatis annum, id quod vulgari decursui repugnat, impetus tam frequentes exstiterunt, ut aegrotus vix duobus diebus insequentibus morbo vacaret, quamvis morbi intervalla interdum diuturniora evaderent. Singulis impetibus semper vomitus finem imposuit. Verum quidem est, dolores morbi posterioribus temporibus non tam atroces prodiisse quam prioribus; sed cum vomitus non eodem ordine, quo antea cuique impetui modum posuerat, procederet, illi singuli impetus non tam perfecte quam antea sublati sunt. Tandem vel crisibus his imperfectis, vel abusu infusi se-

minis coffeae tosti, vel vita prorsus sedentaria, cui aegrotus se dederat, factum est, ut ventriculi functiones turbarentur, atque corporis valetudo universa debilior redderetur. Hemicraniae impetus simul quidem rariores exstiterunt, sed quomodo remotiores redditi sunt, eodem modo aegrotus alia affectione nervosa graviore est correptus: etenim faciei musculi in statum quendam convulsivum inciderunt, quo aegrotus serie fere continua vexatus est, cui, quando hemicraniae impetus plures per hebdomades non redierant, vehementissimum asthma supervenit. Ultimis vitae annis, tribus vel quatuor, hemicrania plane quievit, sed aegrotus maxima virium lassitudine laboravit.

Piso, quem jam supra laudavimus, hemicrania vehementissima circa evolvendae pubertatis tempus occupatus est, quae quavis tempestatis vicissitudine eum invasit, et per aliquot horas obtinuit, quibus peractis vomitus biliosus, quem somnus secutus est, finem imposuit malo. Aegrotus cum ex itinere in Italiam rediisset, dolores hemicranici aliquantum remiserunt; nihilominus tamen vomitus biliosus atque somnolentia quaedam ordine solito apparere perrexerunt. Sed hemicrania ipsa paulatim in spasmos vehementissimos musculorum femoris et abdominis abiit, quibus aeger non solum temporum anni vicissitudinibus, verum etiam quaque ferme tempestatis commutatione obnoxius fuit, nisi sudores largiores, qui horis matutinis saepius eum occuparunt, ei praesidio fuere. Sed cum aliquando autumno interdiu in loco aprico obdormivisset, ita ut caput solis radiis expositum esset, denuo hemicrania ingruit, complures dies explens, quibus praeterlapsis morbus in dolorem singularem collum dorsum-

que occupantem abiit. Hyeme sequenti hemicrania pluribus vicibus rediit.

Tissot hemicranias, quae ternis mensibus, quae quovis mense, quae binis hebdomadibus strenuo ordine rediissent, a se observatas esse affirmat.

Exemplum hemicraniae, typum quae maxime regularem observavit, a Salio (1) exhibetur. Monachum enim Romanum, Salii curae traditum, per tres annos septemque menses insequentes quoque Lunae die, eademque semper hora hemicrania ferocissima occupavit, quae musculum temporalem dextri lateris obsedit. Impetibus vigentibus, qui nunquam minus quam duodeviginti horarum tempus impleverunt, atque ex altera parte triginta horarum spatium non superavere, aegrotus neque lucis candorem neque sonitum, quicunque erat, perferre, neque quidquam manibus sine doloro apprehendere potuit. Finitis vero impetibus optima gavisus est valetudine.

Juncker (2) exemplum quoddam hemicraniae, quam horologicam vocat, memoratu dignissimum narrat. Femina quaedam post puerperium, quo vires admodum exhaustae erant, hemicrania obsessa est, quadrantem horae quaque vice implente, et quavis hora diei noctisque redeunte. Quo modo aegrota quinque annos e morbo laboravit.

Prosper Martin pariter exempla hemicraniae regularis profert. Ita hic auctor Double citat, qui feminam quandam observavit, in qua hemicraniae impetus, qui

---

(1) Schenkii a Graefenberg observ. medic. tom. I. p. 60. Francofurti 1600.

(2) De hemicrania horologica. Halae 1747.

simul cum solis ortu emerserant, cum ejus occasu finem adepti sunt, id quod pari modo quovis die accidit.

Marmontel, uti Prosper Martin commemorat, cum per septem annos insequentes ex hemicrania laborasset, quoque anno nonnisi per duas hebdomades quotidiano dolore occupatus est, qui quatuor horarum spatium nunquam superavit.

Fleck, qui Prosperi Martini libellum lingua vernacula edidit, in juvene quodam hemicraniae impetus hora cujusvis diei sexta matutina inchoantes animadvertit, qui summa acerbitate usque ad horam primam vel secundam pomeridianam perdurarunt. Tandem nono die dolor non reversus est, ex quo tempore aegrotus ille morbo solutus exstitit.

Hemicrania, nisi totam per vitam aegrotantem occupat, duplicem aut in sanitatem, aut in morbos secundarios exitum habet. Mors reapse non adducitur morbo. Exitus in sanitatem jam plura exempla laudavimus, neque minus in universum admonitum est, hemicraniam haud raro aetate provectiore sensim sensimque remittere, usque eo, donec finem assequatur. Quae cum ita se habeant res, exitum morbi nullis symptomatibus peculiaribus ornatum esse patet. Saepius autem exitum in sanitatem phaenomena quaedam critica, exempli causa haemorrhagia, comitantur. Cujus rei exemplum Becker commemorat (1): in femina quadam inferiorum ordinum, inde a decimo septimo aetatis anno hemicrania obsessa, impetus semper eo tempore redierunt, quo menstruorum fluxus impendit; apertis vero menstruis iidem disparuerunt. Ventrem ferens

(1) Acta naturae curiosorum. Ann. 4 et 5. Obs. 73.

cum per duos menses a morbo libera fuisset, hemicrania denuo emersit, cui non ita multo post in regione temporali dextra ecchymosis supervenit, quae mox arteriotomiam secum traxit spontaneam, qua sanguinis serosi et flavescentis quinque fere unciae, ac postea eadem fere copia sanguinis nigricantis ejectae sunt. Sanguine effuso, arteriae ostium sponte clausum. Ex hoc tempore autem aegrota ab hemicrania prorsus libera exstitit.

Quod exitum in morbos secundarios attinet, varii generis morbi animadvertuntur, hoc modo hemicraniae finem imponentes. Hemicraniam saepius in alias affectiones nervosas spasmodicas quidem abire, jam in morbi descriptione monitum, ubi hujus exitus exempla complura a nobis exhibita sunt. Neque minus morbis febrilibus, impetiginibus et arthritide nostrum morbum tolli, auctores quidam dicunt. Maximi vero momenti est exitus quidam hemicraniae, cujus Canstatt (1) mentionem facit, in morbum organicum cerebri, eum quidem, quem Autenrieth encephalitidem hystericam vocavit. Hemicrania enim reactione in nervos vasomotorios partium affectarum sensim sensimque stasin humorum, atque processus plastici anomalam rationem producere potest, quae quidem alienatio, ob summum quod affert vitae periculum, maximam medici attentionem requirit. Symptomata, quibus affectio modo laudata significatur, haec fere: aegroti cum per longius temporis spatium ab hemicrania occupati fuerint, non amplius liberis intervallis gaudent; sed do-

(1) Die specielle Pathologie und Therapie vom klinischen Standpuncte aus bearbeitet v. Dr. Canstatt, Bd. III. Erlangen 1842. Abschn. II. xjjj.

lore, praecipue regionem circa suturam sagittalem obsidente, continue cruciantur. Nervorum et vasorum irritatione dolor vehementior redditur. Non ita multo post agrypnia, aliaque affectae cerebri vegetationis signa accedunt. Capitis cutis eo loco, quo ab internis partibus dolor percipitur, saepe aliquantulum intumefacta ac tensa deprehenditur, atque tum ipsa, tum crines dolorem capiunt e tactu. Nec minus status febrilis, pulsu arteriarum duriore, quin interdum stupore conjunctus, et vomitus consensualis occurrunt. Postremo affectiones paralyticae, motus convulsivi, retardata evacuatio alvi atque urinae, signa hydropica cerebri, febris torpida superveniunt. Solo hoc in morbum cerebri organicum exitu hemicrania mortem adducere valet.

DISSECTIO CADAVERIS.

Cadavera eorum, qui ex hemicrania laboraverunt, in universum nihil morbi praebent, exceptis casibus, in quibus morbi organici capitis hemicraniae exoriundae ansam suppeditarunt. Huc referendum sit, quod Morgagni (1) commemorat: cephalalgiae scilicet miserrimae illos esse obnoxios, in quibus utraque meninx per aliquod spatium, saepe duos digitos latum, ita coaluerit, ut vasorum oscula penitus observentur. Veri quoque simile est, ejusmodi obstacula, quatenus se aut sanguini, aut aliis pariter opponunt succis per meninges jugiter transeuntibus, occasionem interdum praebere doloribus per circuitus recurrentibus, toties videlicet, quoties tanta portio haesit

(1) Morgagni de sedibus et causis morborum. Tom. I. Lib. I. Epist. I.

succorum, ut copia distendere, aut tamdiu, ut vitiosa ob moram facta irritare meninges possit, quarum febris se propterea contrahentibus, postquam prima illa portio vi in angustiores canaliculos laterales contrusa est, nova succedat, quae ad eundem modum haereat atque expellatur, et postea alia; neque finis antea fiat, quam laterales illi canaliculi sic tandem impulsibus saepius iteratis pateant, ut nihil jam haereat. Sed aut funestum denique pronunciant exitum, aut difficilem non raro curationem habent ejusmodi dolores, eoque magis, quo constantius eadem recurrunt hora; an quod ita significetur, laterales canaliculos valentius resistere impulsui dilatanti? — Eodem modo Canstatt exostoses et arteriarum ossificationes a mêdicis observatas esse monet. Praeterea quoque in cadaveribus eorum, qui morbo organico cerebri, hemicraniae pedissequo modo relato, affecti erant, signa quaedam morbosa obvenientia enumerat. Eodem auctore plerumque in suturae sagittalis vicinitate tunicae arachnoideae condensationes, porro meningum concretiones, glandularum Pacchionii intumescentiae et indurationes occurrunt. Interdum ossa cranii locis affectis crassiora, erosa, adeoque perforata deprehenduntur; saepius etiam infiltratio serosa ac pyosis in cerebro apparent.

AETIOLOGIA.

Auctores, qui de morbo nostro egerunt, ferme omnes in eo consentiunt, de causis, quibus hemicrania cum in universum procreetur, tum ejus singuli impetus in lucem provocentur, nihil certi edici posse, cum momenta causalia hemicraniae, quae multigena observentur, aliis quoque morbis iisque diversissimis exoriundis saepissime faveant,

atque quae solam hemicraniam gignant, nullae deprehendantur. Quod cum in universum ita se habeat, tamen momenta, quae hemicraniae origini praebeant ansam, accuratius perlustrentur necesse est, ut morbi cognitio amplificetur.

Dispositio.

Dispositio, quae organismum ad morbum nostrum amplectendum proclivem reddat, his quae sequuntur momentis fundata est.

1) Hereditate, quae saepissime in hemicrania exorienda vigens a medicis vocatur.

2) Aetate. De aetatis ratione, quatenus morbi nostri origini faveat, jam supra in decursus morbi adumbratione monitum est, hemicraniam potissimum juvenili aetate exordium capere, praeter quam infantiam esse accusandam, quae dispositionem ad hemicraniam suggerat. Provectior aetas quamvis morbum antea exortum plerumque asservet, rarissime tamen ipsum producit. Aetas senilis neque ad gignendam, neque ad sustentandam hemicraniam dispositionem peculiarem offerre videtur, cum in universum hemicrania in senibus, nisi prorsus cesset, plurimum tamen remittat.

3) Sexu. Feminas hemicraniae magis quam viros obnoxias esse, ab omnibus auctoribus admonetur. Le Bienvenu (1) ex decem aegrotis hemicrania obsessis in universum novem feminas secundum auctores fuisse ait; ipse vero hunc numerum non satis accurate constitutum

---

(1) Das einseitige Kopfweh, gewöhnlich Migraine genannt und die dagegen anzuwendenden Mittel, v. E. H. Le Bienvenu. Aus dem Französischen. Quedlinburg u. Leipzig 1840.

censet. Praecipue in feminis menstruorum tempus, graviditas, stadium decrepiditatis momenta animadvertenda sunt, quae tum morbum graviorem reddant, tum impetibus gignendis ansam praebeant.

4) Constitutione et temperamento. Constitutio tenera, nervosa, quae causis externis facilius receptis tensionem nervosi systematis aequalem facilius perdat, potissimum accusanda videtur. Sed et constitutio plethorica huc referenda est, quippe quae ex altera parte congestionibus sanguinis ad caput atque illius accumulationibus in cranii cavitate exoriundis summopere faveat; ex altera autem organismum ad stagnationes sanguinis in abdomine ac viscerum abdominalium obstructiones et infarctiones gignendas idoneum reddat. Temperamentorum ea praecipue dispositionem praebent, quae tum ad nervorum actionem alienandam agant, tum sanguinis circulo adaucto turgorem ad caput provocandum foveant: sanguinicum dico atque cholericum, neque minus melancholicum accusandum est, quatenus accumulationibus et stagnationibus sanguinis in abdomine ansam suppeditet.

5) Dispositione morbosa. Hemicrania, semel quae aegrotantem occupavit, dispositionem ad morbos recidivos procreandos relinquit, id quod prae ceteris Prosper Martin commemorat. Praeter hanc dispositionem ex ipso morbo proficiscentem exaltata quaedam ratio systematis nervorum, quae imprimis in hypochondriacis observatur, neque minus in feminis hystericis et chloroticis, atque in iis, quae haemorrhagiis debiliores redditae sunt, causa disponens agnoscenda est. Digestionem vitiosam, a Tissotio gravissimum momentum disponens ad hemicraniam proferendam vocatam Rom-

berg (1) causis occasionalibus potius, quam disponentibus adscribendam censet. Nihilominus negari non potest, habitualem indigestionem et alvi obstructionem saepius causas disponentes hemicraniae existere. Pari modo stagnationes sanguinis in abdomine, praecipue in systemate venae portarum, et dispositio haemorrhoidalis huc referendae sunt.

6. Vitae ratione speciali. Vita sedentaria potissimum, ubi animi intentionibus conjuncta est, quemadmodum in hominibus literatis, otium, maxime tum, cum vitam laboriosam missam subito otiosa sequatur, vita libidinosa ac luxuriosa, largior spirituosorum usus habitualis, causae disponentes, hemicraniae accusanda sunt, quatenus tum nervosi systematis sensibilitatem adaugeant, tum plethoram sanguinis in abdomine gignendam foveant. Nec minus educationis ratio huc referenda est. Sic in infantibus dispositio quaedam cum ad morbos systematis nervorum, tum ad hemicraniam enascitur, si infantes nimia ac perversa parentum cura imbecilliores evaserint, aut si incauta et supervacua instructione, animi viribus adauctis, phantasia imprimis tumida reddita sit. Dein vitae conditiones externae animadvertendae sunt. Qui urbes incolunt ac meliore fortuna utuntur, cum corporis organisatio facilius emolliatur, majorem ad hemicraniam dispositionem evolvunt, quam rustici, laborum molestiis organismum stabilientes.

7. Potentiis universalibus. Quod constitutio-

---

(1) Lehrbuch der Nervenkrankheiten des Menschen von M. H. Romberg. Bd. I. Abth. 1. Berlin 1840. Neuralgia cerebralis.

nem stationariam attinet atque epidemicam, nihil de ipsis ab auctoribus edicitur. De annua constitutione certa sententia non statuenda, cum omnibus anni temporibus hemicraniae impetus observentur. Nihilominus tamen vere et auctumno impetus crebriores existere videntur. Ratione habita constitutionis endemicae Weatherhead (1) prae ceteris humidam aëris naturam accusat. Etenim in iis morbum nostrum saepissime deprehendit, qui accolunt fluvios, aqua bene profluente carentes, et ab utroque latere altis ripis instructos, ita ut nebulae in iis facillime congregentur. Morbus plerumque aegros deseruit, simulatque hi loco humido relicto altiores regiones petierant. Praeterea idem auctor aërem immundum momentum disponens censet, ita ut et hoc modo vita in urbibus, praecipue frequentibus, vim noxiam exercere possit.

Causae occasionales.

Causae occasionales, quae hemicraniam in lucem proferant, hae praecipue a scriptoribus relatae sunt:

Psychicae, animi affectiones cujuslibet generis et exaltantes et deprimentes, inter quas iracundia, terror, angor primum obtinent locum.

Somaticae, quo omnes eae pertinent, quae intemperiem nervosi systematis aliquo modo producere valent. Imprimis huc referenda, quae jam supra dispositionem morbosam constituentia momenta causalia laudata sunt, si majorem in gradum evoluta vim exquisitiorem ad morbum provocandum sibi paraverant. Praecipue vero vitia

(1) Ueber d. Kopfweh von G. H. Weatherhead. Aus dem Englischen von Dr. L. Pfeiffer. Leipzig 1836.

diaetae, interdum etiam jejunium, gastroses, alvus obstructa, haemorrhoides anomalae, sanguinis ad caput congestus, in feminis menstrua suppressa, causae occasionales habenda sunt. Porro secretiones suppressae, praesertim sudorum, dyscrasiae, v. c. arthritis, dyscrasia mercurialis, dyschymosis ex ulceribus incaute sanatis exorta, nec non affectiones locales, velut ophthalmiae, irritationes et inflammationes sinuum frontalium, sphenoidalium, maxillarium provocatae, caries dentium, morbi organici cerebri, exostoses ossium cranii, calculi renales, causis occasionalibus ab auctoribus adnumerantur.

Weatherhead praeterea refrigerium, praecipue pedum et capitis, nec non rationem electricam aëris, imprimis positivae ac negativae permutationem in tempestatibus, causas occasionales accusat. Dolorem, matutino tempore aegrogantes e somno experrectos invadentem, idem auctor saepius ex aliqua aëris alienatione per noctem exorta proficisci censet. Postremo aër perflans, solis ardor, cui caput incaute exponitur, nimius in conclavibus calor memorantur, quibus haud raro morbus provocetur.

ESSENTIA MORBI.

De hemicraniae natura et indole variae ab auctoribus sententiae prolatae sunt.

Tissot morbum nostrum semper fere affectionem sympathicam, laesa digestione commotam et sustentatam arbitratur. Simul Caelium Aurelianum atque Alexandrum Trallianum, eandem sententiam foventes, laudat.

Schobelt (1) de illo haec verba facit: Hemicrania est illa rheumatismi species singularis, qua unum capitis latus tantum affligitur cruciatibus.

Piorry (2) hemicraniam veram neuralgiam iridis aestumat, quam sententiam eo stabilire conatur, quod eos, qui nimiis intentionibus visum fatigassent, capitis doloribus laborare, et ad dolorem certo ex oculo proficiscentem mitigandum lucem fugere, porro oculum rubefactum apparere, atque hemicraniae itidem, quemadmodum in operationibus chirurgicis, quae oculum attingant, saepius fiat, vomitum supervenire monet.

Plurimi, qui de hemicrania egerunt, scriptores in eo consentiunt, hemicraniam esse affectionem dynamicam, neuralgiam, quam Stokes (3) vel periphericos vel centrales nervi trigemini fines obsidentem declarat. Sed haec affectio dynamica, qua hemicrania constituitur, variis in aegrotantibus varium nexum causalem agnoscit; est ea enim:

1) idiopathica, ex nervosi systematis, praecipue cerebri, erethismo progrediens, quae in hypochondriacis, in feminis hystericis atque anaemicis, nec non post nimias animi intentiones, sed rarius observatur (Andral).

2) Deutero-pathica, quae saepissime occurrit. Haec vero pendet:

a. E digestione anomala et, quae hanc sequuntur,

---

(1) Schobelt, tractatio de hemicrania. Berolini 1776.

(2) Andral l. c.

(3) W. Stokes Vorlesungen über die Heilung der innern Krankheiten. Deutsch bearbeitet von Dr. F. J. Behrend. 2te Auflage. Leipzig 1839.

affectionibus abdominalibus (Tissot, Prosper Martin, Stokes).

b. Ex secretionibus suppressis (Andral, Le Bienvenu).

c. E sanguinis plethora (Andral, Prosper Martin, Le Bienvenu).

d. Ex dyscrasiis (Canstatt).

e. Ex affectionibus localibus, praecipue capitis (Tissot, Canstatt).

Plurimis casibus autem complura momenta causalia concurrunt, quae hemicraniam constituant. Interdum etiam hemicrania febris intermittens larvata habenda est (Prosper Martin, Stokes, Le Bienvenu). Semper vero animo tenendum, deuteropathicam hemicraniam, quae longius tempus aegrotum occupaverit, impressione dicta nervosa vim quandam absolutam assequi posse, ita ut causis sublatis hemicrania tamen perduret, id quod in therapia exhibenda maximi est momenti.

DIAGNOSIS.

Hemicrania, si rationem peculiarem sedemque doloris, nec minus morbi decursum impetibus singulis atque intervallis prorsus liberis instructum animadvertas, facillimo negotio a reliquis capitis dolorum generibus distingui potest. At vero dolor rheumaticus capitis interdum hemicraniae imaginem referre videtur, iis nimirum casibus, ubi easdem fere regiones, quas hemicrania, obtinet. Sed accuratius observanti vix ulla dubitatio inde potest enasci. Qui hemicrania laborant, ipsi, ubi rheumatismo capitis occupantur, dolores rheumaticos facillime ab hemicranicis discernere valent. Dolores rheumatici enim non sensim

sensimque crescere solent, sed saepissime statim ab initio rapidiores occurrunt. Plerumque affectio rheumatica mox sanguinis excitat congestionem, quam ob rem dolores maxime pulsantes percipiuntur, capite prono praecipue ingravescentes. Impetus rheumatici semper paene nulla regula observata decurrunt, ita ut circuitus certos non exhibeant. Nunc enim dolores rapidissimi caput perstringunt, nunc prope subito evanescunt, nunc nova atrocitate revertuntur usque eo, donec rheumatismus tandem finem assequatur. Plerumque in aliis corporis partibus simul affectiones rheumaticae vigent. Ceterum in rheumatismo maxima ex parte exacerbationes vespertinae cum febri conjunctae proveniunt. Interdum accidit, ut hemicraniae impetui rheumatismus superveniat. Quod cum ita est, hemicrania plerumque cessat, donec finito rheumatismo denuo emergat, atque modo solito decurrat.

Etiam generum singulorum hemicraniae diagnosis facillime stabilienda est, si accurate organismi affectiones perlustrentur. Ejus tantummodo generis, quod ex morbis cerebri organicis pendet, diagnosis majoribus difficultatibus implicita. Ejusmodi vero casus, qui rarissime tantum deprehenduntur, haud diu merae hemicraniae imaginem referunt; sed mox consueta affectionum cerebri signa accedunt, quae medicum moneant, ut in graviorem morbum accuratius animum intendat. Etenim sensuum functiones, visus imprimis, olfactus et auditus turbantur, actiones mentis, praecipue memoria, deminuuntur; prae omnibus vero affectiones paralyticae, interdum etiam motus spastici in lucem prodeunt.

Majoris quoque ponderis est cognitio morbi illius secundarii hemicraniae, quem Autenrieth encephalitidem

hystericam appellavit. Quae affectio praecipue hemicraniam, quae per longum tempus aegrotum occupaverit, insequitur. Praeterea plurimum homines plethoricos ac feminas, quae decrepiditatis stadium subierunt, invadit. Nec minus menses suppressi, nimiae mentis intentiones, phantasia excitata, quid multa, omnia ea momenta causalia, quibus congestiones sanguinis ad caput commoventur, hujus morbi origini favent. Pulsus arteriarum morbo modo laudato instante in hemicraniae impetibus duriores evadunt. Dolores capitis autem impetibus finitis non prorsus cessant, sed etiam per intervalla, etsi levissimi, perdurant. Ubi hemicrania ex consensu cum abdomine originem duxerat, ejusmodi consensus non amplius perspicuus existit, sed potius doloribus non intermittentibus cutis intumefacta, atque capilli in loco affecto simul dolentes redduntur. Quae omnia quando ita se habent, medicus affectionem graviorem auguratur.

PROGNOSIS.

Hemicrania, si ipsius respicis dignitâtem, in genere molesta potius quam periculosa affectio habenda est. Qui laborant hemicrania, dolorem interdum tanta atrocitate prorumpere affirmant, ut doloris impetu quodammodo obtundantur, atque voluntatis propriae plane expertes fiant: nihil enim percipiunt, nihil sentiunt, nihil appetunt, nulla re eorum animus commovetur, neque amore neque odio, neque ullo affectu, cum doloris vehementia animus oppressus in neutram partem propendeat. Haec omnia autem post aliquot horas plane evanescunt, ac fugientis hostis ne vestigia quidem relinquunt. Hemicrania per se mortem non adduci, jam supra dictum est. Plerumque

e contrario provectiore aetate impetibus paulatim remittentibus in sanitatem exitum profert. Interdum autem per totam vitam hemicrania viget. Morbi secundarii rarius tantummodo obveniunt, inter quos sola cerebri desorganisatio exitum lethalem efficere valet. Quod attinet morbi sanationem, prognosis in universum pejor existit. Potissimum vero nexus causalis in prognosi statuenda animadvertendus. Ubi causae, quae morbum excitaverunt, facilius possunt deleri, sperandum est, fore ut hemicrania quoque vincatur. Sed, uti supra jam admonuimus, nunquam obliviscamur, hemicraniam sensim sensimque impressionem nervosam producere, qua, subductis etiam causis, morbus sustentetur. Experientia autem docet, ejusmodi affectionibus impressione nervosa fundatis saepissime omnia medicorum conamina irrita fieri. Quam ob rem in hemicraniae curatione et morbi spatium respiciendum est. Sed quamvis hemicrania in genere pertinacissimum morbum se praebeat, tamen medicus non statim ab initio omnem spem illius sanandae abjiciat, cum saepius curatione assidue ac strenue per longius tempus adhibita eveniat, ut aegrotus ad sanitatem reducatur. Nunquam autem medicus speret, fore ut brevi tempore hemicraniae sanatio perficiatur.

THERAPIA.

Proximum et ultimum hoc est, ut de morbi therapia instituenda necessaria referamus. Maxima copia variorum medicaminum contra hemicraniam a medicis celebrata est.

Prosper Martin et Le Bienvenu in libellis suis conspectum remediorum a medicis et antiquioris et recentioris aetatis impensorum exhibuere, quae, cum alia eorum

supervacanea ac futilia, alia nimis heroica appareant, omnia vero aptioribus atque fructuosioribus cesserint, summo jure omittenda videntur. Ceterum remedia haec ex numero excitantium et internorum et externorum, atque derivantium externorum sumta sunt. Derivantia autem a vetustioribus medicis, praecipue incisiones et cauteria, tam potentialia quam actualia, in usum vocabantur.

In therapia ipsa exhibenda morbi universi atque singulorum impetuum medela distinguenda est. Omnino autem in hemicraniae curatione perquam caveat medicus, ne violenter morbum oppugnet, aegrotumque remediis impleat, cum hemicrania nunquam non morbus summopere chronicus existat, cujus sanatio sedulam et vigilantem curam a medico postulet.

Morbi universi curatio et causas et morbum ipsum et sequelas respicere debet.

1) Causae, quemadmodum in quoque alio morbo, sic quoque in hemicrania primum curationis objectum praebent.

Quarum graviores sunt, quae sequuntur.

a. Digestio laesa ejusque sequelae. Saburra, ubi apparet, vel emeticis vel purgantibus, prout res fert, amoveatur. Deinde, ut secretio tunicae mucosae tractus intestinalis reddatur normalis, remedia resolventia cum roborantibus in usum vocentur, v. c. Tartarus stibiatus, Ammonium muriaticum, Trifolium fibrinum (a Tissotio summopere celebratum), Carduus benedictus, Centaurium minus, Gentiana etc. Simul strenue videndum est, ut alvi excretiones regulatim cedant, id quod, nisi clysmatum usus sufficiat, optime Rheo salinis conjuncto efficitur. In organorum abdominalium obstructiones et infarctiones re-

solventia amara: Gramen, Taraxacum, Chelidonium etc., interdum etiam fortiora: Helleborus niger, Aloëtica etc., saepius autem salina, praecipue Kali tartaricum, neque minus Mercurialia, quibus, ubi sanguinis missione opus est, hirudinum applicatio conjungatur, optimum successum promittunt. Praeterea quoque aquae minerales resolventes, v. c. Marienbadensis, Kissingensis, Thermarum Carolinarum laudantur. — Uti vero in omnibus nervosi systematis affectionibus, ne dicam in omnibus morbis chronicis, sic quoque in hemicrania regimen aegrorum maximi est momenti. Nutrimenta sint concoctu facilia, aegrotanti suavia, plurimum animalia, v. c. juscula e carne vitulorum et gallinarum. Simul aegrotus lacte ebutyrato vel sero lactis utatur. Ceterum, quantum fieri potest, sub dio agat, ambulet, equo vel cursu vehatur.

b. Plethora sanguinis. Congestiones ad caput ubi aperte in lucem prodeunt, statim ab initio sanguis mittatur. Pro viribus aegri malique magnitudine aut venaesectio instituatur, aut hirudines applicentur. Prosper Martin hirudinum applicationem iteratam ad anum commendat, tum ad sanguinis copiam derivandam, tum ad plethoram abdominalem, ubi viget, mitigandam. Interna remedia propinentur, refrigerantia et derivantia: Nitrum, Natrum sulphuricum, Magnesia sulphurica etc. Nec minus frigida in caput cataplasmata atque pediluvia adhibeantur. In plethora abdominali curanda praeterea resolventia supra laudata locum inveniant; menstruatio suppressa emmenagogis, prae ceteris Tartaro boraxato, et alterantibus cujuslibet generis debelletur; haemorrhoides anomalae salinis Rheo Sulphureque conjunctis, Aloëticis, adjuncta hirudinum ad anum applicatione, corrigantur. — Nutri-

menta blanda, vegetabilia, potulenta acidula aegroto porrigenda sunt, qui aequabilem vitae rationem assidue observet, omnesque concitationes et psychicas et somaticas studiose evitet.

c. Quod reliquas causas a nobis adlatas attinet, secretiones scilicet suppressas, dyscrasias, affectiones locales: hae omnes secundum naturam suam curandae sunt. Ex singulis affectionibus localibus Stokesii auctoritate potissimum caries dentium attendenda est, quippe quae frequentissimam hemicraniae causam praebeat. Quod cum ita est, extractione dentis cariosi solummodo hemicrania sanari potest. Interdum vero fit, ut medicus in hac affectione investiganda fallatur, cum aeger dolorem saepius non in dente carioso, sed in toto capitis latere percipiat.

2) In morbo ipso curando China, Ferrum, Arsenicum, Opium maximam laudem adepta sunt. Stokes, medicus ille sagacissimus, cujus auctoritatem in morbis curandis summam censemus, prae omnibus Ferrum carbonicum commendat, quod certissimum eventum promittat. Porrigatur autem hoc remedium ad hanc formulam: Rcp. Ferri carbonici gr. xv., Pulveris Cassiae cinnamomeae, Pulveris radicis Rhei aa gr. jjj — v. M. f. Pulv. D. S. Ter in dies dosis laudata sumatur. — Ubi hemicrania febris intermittens larvata habenda est, Chininum sulphuricum in usum vocetur. Stokes vero dicit, Chininum, nisi ejus effectus paulo post procedat, nullum fructum habere. Quod cum accidit, ad Ferri carbonici usum transeundum est. Ceterum aegrotus cibis nutrientibus, gelatinosis et amylaceis, facilibus ad concoquendum utatur, simul vero vitae rationem degat, qua corporis vires reficiantur. Quem in finem corpus motu et labore, praesertim sub dio, exerceat,

nec non balneis frigidis utatur. Praeterea hilaritatem quandam animi semper servare studeat, nimias autem mentis intentiones fugiat.

3) Sequelarum prae ceteris morbus secundarius cerebri supra laudatus attendendus est, cum reliquae sequelae, affectiones nervosae plurimum spasticae, peculiarem curationem non expostulent. Alteratio autem plastica cerebri ubi metuenda est, capillis tonsis major hirudinum numerus ad locum affectum applicetur; nec minus incisiones et scarificationes fini optato respondebunt. Ubi dolor non remittit, sanguinis detractiones repetendae sunt, quibus fonticulus in loco affecto adjungatur. Schoenlein(1) post sanguinis missiones cataplasmata frigida, dein in viris derivantia interna, Infusum Rhei cum Tartaro depurato, in feminis injectiones hystericas, ex Floribus Chamomillae, Radice Valerianae, Asa foetida aliisque confectas, in anum aut in vaginam commendat.

Ad curandos impetus remedia minoris ponderis adhibeantur. Fortassis Pulvis aërophorus, saturationes Kali carbonici, Aqua Laurocerasi, Morphium aliquid solatii praebebunt. Remedia excitantia in universum rejicienda, nam plerumque nullam afferunt utilitatem, haud raro autem nocent. Cataplasmata frigida cum interdum dolorem leniant, a plurimis aegrotantibus vix perferuntur. Stokes nonnunquam inunctionem, ex Linimenti camphorati ℥j et Extracti Belladonnae ʒj confectam, fructiferam observavit, eodemque modo saepius Morphium aceticum endermatice cum successu bono adhibuit. Maximae vero notae aegrotantis regimen existit. Aegrotus in solitudine ac tenebris

(1) Canstatt l. c.

versetur, capite paululum erecto recumbat, atque prorsus immobilis maneat, ita ut ne oculos quidem torqueat. Quo modo saepe evenit, ut impetus ingruentes evanescant. — Ad impetus prohibendos omnia ea fugienda sunt, quibus illi excitari solent, veluti ventriculus praegravatus, spirituosorum usus, praeceps aëris temperaturae permutatio, perflatus aëris, solis intemperies, quae caput attingit, nimius conclavium calor. Quibus jejunium impetus excitat, hi Tissotii consilio semper aliquid cibi secum ferant, ut instans malum statim cibis sumtis reprimi possit.

VITA.

Franciscus Antonius Theodorus Straeter, fidei catholicae addictus, natus sum Rheinae, Guestphaliae oppido anno h. s. decimo octavo, patre Bernhardo Theodoro, matre Maria Catharina e gente Schilgen, quos praematura morte mihi ereptos lugeo. Primis literarum elementis in progymnasio Rheinensi imbutus, gymnasium Paulinum Monasteriense, quod tum directore Ill. Nadermann florebat, adii et per tres annos frequentavi. Deinde testimonio maturitatis ornatus, autumno anni h. s. tricesimi octavi, ut medicinae operam navarem, ad almam literarum universitatem Bonnensem me contuli, ubi ab Ill. Mayer, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, per unum semestre has frequentavi praelectiones: Ill. Mayer et Weber de anatomia universa, tam theoretica quam practica; de logice et psychologia Cel. van Calker; de physice Ill. Pluecker; de encyclopaedia et methodologia medica Cel. Albers.

Paschali tempore anni tricesimi noni universitatem Heidelbergensem petii, ibique numero civium academicorum a rectore magnifico Ill. Muncke adscriptus, scholis interfui hisce:

Ill. Tiedemann me docuit anatomiam universam, atque artem cadavera rite dissecandi; Cel. Th. Bischoff physiologiam; Ill. Puchelt pathologiam generalem; Ill. Gmelin chemiam; Ill. Leonhard mineralogiam; Ill. G. Bischoff botanicen, quem eundem in excursionibus botanicis secutus sum; Ill. Bronn zoologiam.

Per anni spatium Heidelbergae commoratus, Berolinum adii, et a rectore magnifico Ill. Twesten in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. Hecker, decano ordinis medicorum maxime spectabili, in album ordinis medici relatus sum.

Per triennium hasce virorum Ill. et Cel. lectiones audivi:

Ill. Mitscherlich de chemia; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Wagner de medicina forensi; Cel. Romberg de diagnostice et de morbis nervorum; Cel. Kluge de arte obstetricia.

Postremo exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis interfui virorum Ill. et Cel. Wolff, Schoenlein, Truestedt, Romberg, Dieffenbach, Juengken, Kluge.

Quibus omnibus viris amplissimis gratias quas possum maximas ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, equidem dissertatione thesibusque rite defensis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In stadio frigoris febris intermittentis venaesectiones non omnino sunt refutandae.
2. Morbus Brightii morbus non inflammatorius.
3. Aneurysma saepissime carcinoma arteriae.
4. In coxalgia caput ossis femoris premente ichore ex acetabulo non ejicitur, sed ossium malacia et corrosione.